EX MUNIFICENTIA

FERDINANDI III. M. E. D.

DIE 3. IUNII 1791.

Digitized by Google

9.7.163.

9 D. 7

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Meditationes Philosophicæ

De

DEO:
MUNDO:
HOMINE.

Anno M. DCCXVII.

Digitized by Google

Quid verum, atque decens: curo, & rogo, & omnis in hoc sum.
Condo, & compono, quæ mox depromere possim.
Nullius addictus jurare in verba Magistri,
Quò mecunque rapit Tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio, & mersor civilibus Undis,
Virtutis veræ Custos, rigidusque Satelles:
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus, submittere conor.

Horatius Libr. I. Epistolarum: Epist. 1. v. 11. seqq.

p. m. 213.

HAs, quas Tibi Benevole Lector, Philoſophicas communico Meditationes, benevolâ accipe Mente. Primæ ſunt, majoris Operis Lineæ: quod cum Tempore, ſi mihi DEUS, Vitam conceſſerit & Otium, publicæ exponam Luci. Quæ enim in anguſto præſentium Paginarum Quadrato legendas Tibi præbeo Theſes: Punctationes ſaltem ſunt & Medii Termini, qui ut multa in Receſſu habent, ita uberiori Elucidatione & Demonſtratione indigent. Probabo ergò eas Rationibus: Illuſtrabo Teſtimoniis & Exemplis. Quæ interim hic à

Digitized by Google

me ſcripta leges Benevole Lector, probè ſcias, quod ea non ut Theologus, nec ut Jure Conſultus, vel Medicus, ſed ſcripſerim ut Philoſophus, qui nullarum Sectarum addictus Societati, Res Divinas & Humanas, Deum, Mundum, Hominem, ſibi pro Objecto, & Meditationum ſuarum elegit Termino: deque iis liberè philoſophatur, liberè loquitur, liberè ſcribit. Prævideo equidem non paucos, quibus aliorum Elucubrationes, illas maximè, quæ à trita Opinionum & Præjudiciorum recedunt Orbitâ, mordaci lacerare & rodere Dente, ſumma & unica Virtus manet: gladiatorias jam contrà me meumque hunc Libellum Philoſophicum, acuere Calamos. Verùm excandeſcant Magni illi Hectores,

Digitized by Google

ctores, Vindice, pro Gloria Dei, Irâ; Damnent, comburant, Confiscatione puniant, ac Librorum prohibitorum Catalogo, Philosophica hæc mea inferant Cogitata; Appellent me Hæreticum, Atheum, Spinosistam: imò durioribus adhuc Titulis & Cognominibus; Non tamen obindè ullus Horror vel Terror, meos occupabit Artus. Ignea eorum Tela Refutationum, flammantesque Objectionum Bombardas, ridenti fronte & Philosophico excipiam Phlegmate: sicque semper mei Juris & Passionum Dominus, Tyrannicum eorum innocentes contrà has Pagellas, harumque Autorem, si quem intentaturi sunt Processum, indifferentibus aspiciam Oculis; glorioso uti Silentiô, de illorum triumphaturus

Clamoribus: ità generoſo Contemtu vel iniquiſſimas vindicaturus Calumnias; cum publicas & clandeſtinas nigræ Invidiæ Denigrationes, quam ceu Virtutis Comitem, Miſericordiæ præfero: nihil curare; Theologia Naturalis ſuadeat & Revelata: Ethica doceat & Politica. Abundent Illuſtres illi Reipublicæ Litterariæ Magnates Purpurati, ſuperabundanti Scientiæ ſuæ & Sapientiæ Senſu. Sint Soles: Sint Luminaria Magna: Sint Miſſionarii Dei, quos ſuper, duplô pondere Spiritus Dei quieſcit; Spem tamen foveo; certiſſimam, quod & ipſi, ex ſingulari Gratiæ Exuberantia, haut gravim ſint permiſſuri, ut meâ quoque gaudeam Ratione & Senſu: Liber ut ſim Philoſophus: & ceu minimæ Ma-

Digitized by Google

Magnitudinis Stella paucissimâ Divinitatis Luce irradiata, si non splendeam saltem scintillem. Interim Lector Benevole, ut aliqualem de Fide & Vita mea habeas Cognitionem, cum Nomen meum Te adhuc latere volo: vivam utriusque hanc tene Ichnographiam. Universalista sum & Catholicus. Deum colo. Vice-Deos honoro. Honestè vivo. Neminem Lædo. Suum Cuique Tribuo. Vale!

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Meditationes Theologico-Physicæ.

I.

DEUS est: DEUS existit.

II.

Utrumque me & omnes, Sensus docent & Ratio. Atheismus hinc nullus. Atheæ Nationes nullæ. Athei Homines nulli.

III.

Quidditas Dei, propriè & demonstrativè determinari nequit. Quid Deus: solus Deus novit. Conceptus interim illi, quos de Deo & Essentia ejus, Homines & Nationes habuerunt: nec non multifariæ ejus Repræsentationes & Effigiatio-

giationes, quales quales etiam ſint, nec irridendæ, nec vituperandæ, multò minus odiô, exiliô, igne, ſupplicio ſunt mulctandæ. Fundamentum habent Religionem, Devotionem, Intellectum; In Rebus verò Religionis, Devotionis & Intellectus, quivis ſibi relictus eſſe, nec ab aliô, regulam ullam vel menſuram accipere poteſt nec debet.

IV.

Mihi: Deus Natura Naturans: ego Natura naturata. Ratio ratiocinans: ego Ratio ratiocinata. Forma formans: ego Forma formata. Materia ſimplex: ego materia modificata. Oceanus: ego Fluvius. Aqua: ego gutta. Ignis: ego Scintilla. Terra: ego gleba. Aer: ego effluvium. Sol: ego radius. Corpus: ego membrum. Mens: ego Mentis operatio. Æternus. Omnipotens. Omnipræſens. Omniſcius.

V.

Exiſtentia Dei: nullâ indiget probatione; Senſus enim omnium incurrit. Oculus eum videt. Auris audit. Naſus olfacit. Lingua guſtat. Manus tan-

git. En Teſtes infallibiles, & omni exceptione majores!

VI.

Mihi ea patet, ex mirabili, tot Mundorum, Globorum Terr-aqueorum & igneorum, ac ex Triplicis Regni, Animalis, Vegetabilis & Mineralis Creatione, Gubernatione & Conſervatione: in quibus palpabili & viſibili modo, Deus ſeſe manifeſtavit ac revelavit.

VII.

Eſt hæc Dei, in Operibus & per Opera ſua, facta Revelatio, certiſſimum, mathematicum & infallibile; lucidiſſimum quoque & ſufficiens, Deum ejusque exiſtentiæ Realitatem, cognoſcendi & convincendi Principium.

VIII.

Sunt hinc mihi ſtupendæ hujus Creationis Opera, eorumdemque Conſideratio & Inveſtigatio, Biblia mea; Sunt Prophetæ, Apoſtoli & Sacerdotes mei fideliſſimi: quæ lego, quæ ſcrutor: quos audio, quos ſequor.

IX.

Datur quidem Revelatio etiam Dei ex Scri-

Scriptura, quæ Sacra & Verbum ejus immediatum audit. Sed hiſtorica eſt: Hominum nixa Traditionibus: multis ſubjecta Nævis. Notitia eſt Dei alicujus particularis, Meſſiæ ſcilicet & Chriſti: Judæos principaliter afficiens & Chriſtianos; Non verò univerſalis, & de omnium Mundorum & Populorum Deo, perfecta Scientia. Reperiuntur quidem, & in iſto Verbo Revelato, generalia nonnulla de communi, Univerſi Totius, Conditore aſſerta: ſed præmiſſa hæc ſunt ſtudiò & Proœmii quaſi loco; quò Hiſtoriarum in eôdem Syſtemate relatarum Connexio, eô meliori Filô cohæret. Potior mihi arridet Dei ſummi Revelatio, per Opera propria, qua aliorum verba: Dei ſiquidem ipſius Digitô illa: hæc Hominum ſcripta & promulgata Manibus. Illa verè divina: Hæc humana. Certiſſima illa: Hæc incerta.

X.

Eſt verò Deus hic: Unus. Non enim eſſet Deus, niſi eſſet unus. Circulus eſt hoc univerſum: Punctum Deus. Punctô unô omnis gaudet Circulus. Perfectus

fectus est Deus; ergò Unus necessariò. Unitati verò, sicque Perfectioni, Multiplicatio derogat. Multiplicare Deum, est Deitatem destruere.

XI.

Est hinc Polytheismus Gentilium & Christianorum, res intricata, multis obscuritatibus, dubiis multis & contradictionibus involùta. Optima de Deo scientia, quæ plana. Plana illa, quæ Deum unum, sine multis Diis, eorumque Divisionibus, Subdivisionibus, Coordinationibus & Subordinationibus: quæ Deum, ab omnibus Terminis Scholasticorum, Theologorum & Metaphysicorum Speculationibus purum & liberum, agnoscit & docet.

XII.

Multiplicatio interim Deitatis seu Deorum, ubi à Theologis & Politicis, ex Status vel Regionis Ratione, fictô sub Religionis velô introducta & recepta: in suô est relinquenda valore; Et Gentilis Multiplicem: Christianus Unum & Trinum colat Deum.

XIII. De-

XIII.

Deum in Eſſentia mihi Unum, ſecundum Religionem meam, Amo & Colo. Pauca ſanè & brevia Religionis Capita: quæ quò breviora & pauciora, eò meliora.

XIV.

Amo verò Deum purè & ſimpliciter ideò, quia Deus eſt & quidem meus. Nullum hic habeo reſpectum ad Bonum aliquod præſens vel futurum: Corporis vel Animæ: hujus vel alterius Vitæ. Qui Deum, propter aliud amat, ſe plus quam Deum amat. Eſt talis amor intereſſatus: non verus & ſincerus Amor.

XV.

Dum ſic Deum amo: Eum non Timeo. Timor involvit Odium. Amor & Odium incompatibilia. Præſupponit Timor factum commiſſionis & læſionem: ob quam alterius extimeſcoram, Vindictam, Pœnam. Deus tantum paſſionum expers. Deus nullô modô poteſt lædi. Finito in Infinitum potentia nulla, vis nulla, actio nulla.

Si

Si non lædi: peccata nulla; Quid enim ea, quam læsiones & transgressiones? Si non peccata: nec pœnæ, nec Diabolus, nec Infernus; Ubi nulla mala actionis, nec mala passionis fingenda. Si non Peccata & Peccatores: nec Salvatore, nec Redemtore, nec Sanctificatore opus. Non-Entium affectiones nullæ. Conclusio præsupponit Præmissas. Placere tamen possunt, cui volunt & debent Ideæ: quas Gentiles & Christiani de Seculo aureo, de Statu Integritatis, de subsecuto Primi Hominis Lapsu, Redemtione, Redemtoris Nativitate, Passione & Resurrectione ejus Satisfactione, Missione Spiritus Sancti, & plura alia fovent & defendunt, docent & concionantur. Jucundæ sanè sunt & innoxiæ. Nec reprehendendæ, nec damnandæ. Qui interim Deum verè ex totô animat corde, & ex totâ diligit animâ: omnibus hisce carere potest Notionibus & Dogmatibus. Fœtus enim tantummodò sunt Timoris & Odii.

XVI.

De Amore Dei: ad ejus Cultum. Consistit is mihi in Admiratione. Gratiarum actione. Obedientia. XVII.

XVII.

Admiratione eum colo: Ceu Universi hujus & insimul meæ Corporeæ Spiritualis Substantiæ, Architectum & Opificem.

XVIII.

Gratiarum actione: Ob innumera, quæ mihi præbuit, & quotidiè præbet Beneficia. Conservator meus est: Qui mi primum mihi Esse dedit Constitutivum, ità & secundum seu benè Esse & Conservativum, adhuc largâ Benedictionis suæ largitur Manu.

XIX.

Obedientiâ: quia Rector & Gubernator meus: cujus divinæ Voluntati me & omnia mea resigno & committo. Nullas hinc sæpe effundo Preces. Non oro, ut hoc vel illud à Deo obtineam Bonum. Non supplico, quò Sanitate, Fortunâ, Vitâ longâ & æternâ mihi frui liceat. Talia petere, est Deo Leges præscribere: côque sapientior esse velle. Optimè ipse novit, quid utile mihi & necessarium. Confido semper in eum: & ut hactenus ità porrò benè faciet.

faciet. Invoco tamen etiam ſæpe Deum: ſed ex moribus potius & Conſuetudine, quàm intentione deſtinatâ. Et dum invoco, ſimul addo: Fiat Voluntas Tua, non mea. Rogo quidem Te: ſed exaudi Me, pro Tuo Beneplacito. Da mihi, non quæ peto, ſed quæ dare decreviſti. Fac mi Domine mecum, prout Tibi videbitur. Creator meus es, ego Creatura Tua. Tu Opifex, ego Opificium. Tu Rex, ego ſubditus: in quem liberum Jus vitæ & Necis. Salvationis & Damnationis habes.

XX.

Totus verò hic Cultus internus eſt, non externus. Spiritualis non materialis. In Intellectu ſubſiſtit & Corde; Hæc enim Dei, optima & unica ſunt Templa, Sacella, Altaria. Religio Senſus, non Verbi, Rationis, non Regionis. Libera non coacta. Voluntatis non Imperii. Hominis non Principis. Nulla agnoſcens præcepta alia: Formulas Concordiæ, Confeſſiones, Symbola, Catechismos, Articulos Fidei alios nullos, quam Deum unum, mei Creatorem, Gubernatorem & Conſervatorem.

XXI. Eſt

XXI.

Est tamen mihi, præter hanc Religionem Naturalem: Religio Politica quoque & Societatis. Civis enim sum & Subditus; Hinc uti in reliquis Vitæ, ità & in Fidei actionibus extrinsecis & transeuntibus, non mei, sed alieni Juris. Colo ergò Deum talem, qualem Princeps vel Respublica me jubet. Si Turca, Alcoranum: Si Judæus, V.T. Si Christianus, N.T. veneror, pro Lege & Religionis meæ Norma. Papa si Imperans: Deum Credo Transsubstantiatum. Si Luterus: Deus mihi, Particulis In, Cum & Sub, circumvallatur. Si Calvinus: Signum pro Deo sumo. Sicque cujus Regio, in quâ vivo: ejus me regit Opinio; Et qualis, illius Regionis, Deus fictus Theologicus vel Politicus seu Statisticus: talis & ille mihi placet & placere debet. Religio enim dominans: Corpori quoque & Conscientiæ, in Sensus incurrenti, dominatur.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

Meditationes Physicæ.

I.

JAm à Deô: ad Universum ab eo creatum.

II.

Est illud mihi: Complexus vel Systema omnium Creaturarum visibilium & invisibilium, quæ vivunt, sentiunt, ratiocinantur: & in suis Orbibus Igneis, Aqueis, Terreis & Aëreis: vel alibi & aliô nobis incognitô modô sunt & existunt. Uno Nomine: Mundus.

III.

Mundus hic: in Deo, ex Deo, & per Deum est. Deus Aranea: Textura Mundus.

IV.

In Deo: ante Creationem. Embryo in ejus Abysso. Semen in ejus Lumbis. Circulus in suo Puncto.

V. Ex

Digitized by

V.

Ex Deo: per Creationem. Non ex Nihilo: ſed ex Infinito Ente præ & coexiſtente. Deus: Pater. Creatio: Puerpera. Mundus: Partus.

VI.

Per Deum: Quotidianâ ejus Conſervatione. Deus: Nutrix. Mundus: Infans: Providentiæ Ubera ſugens.

VII.

Eſt ergò Mundus ab æterno. Cauſatum cum ſuâ Cauſâ. Ædificium cum Architectô. Fructus cum arbore. Ariſta cum grano.

VIII.

Licet interim ab æterno: in Tempore tamen prodiit. Principium Originis ut haberet, rupta ſunt Æternitatis Vincula. Vox æterni Dei FIAT: Generationis fuit actus. Puerperium unô momentô factum. Nulla hic Temporis diſtincta Intervalla. Deus & actio: Decretum & Executio: Voluntas & effectus: in Productione & Generatione Univerſi, ſimul conjunctim extiterunt; Volebat Deus creare Mundum: & eô ipſô erat creatus;

Digitized by Google

Volitione solâ, in totali suâ perfectiónc.

IX.

Non impugno interim eos, qui certam, à conditô Mundô annorum numerant seriem: quamvis in eorum Determinatione, non consentiens omnium Gentium & Historiarum Opinio & Concordia. Faciunt iidem: Deum, Ens aliquod Otiosum, quod ante istos, quos ipsi præfigunt Existentiæ & Revelationis annos, in Cimmeriis quasi latitavit Tenebris, & in perpetua fuit Inactione; Cum tamen Deus, Ens sit semper agens: semper volens: semper creans.

X.

Nullam nec litem moveo illis. Qui sex Dierum Spatiô, Universum creatum asserunt Mundum. Loquuntur etenim ex Principiis scriptæ per Hominem Revelationis. Loquuntur pariter de Creatione particularis Mundi, quæ à particulari certarum Gentium Judæorum scilicet & Christianorum Deo, facta & peracta. Mihi autem de Universali, Totius Universi Deo, sermo: Liberam secundum Rationem,

nem, & ipsius Dei in Operibus suis, manifestatam Revelationem.

XI.

Modum tamen Creationis, quô totum hoc Universum formatum, miror potius quàm rimor. Opus est Dei, quod Hominis transcendit captum. Finiti etenim ad Infinitum, nulla datur Proportio.

XII.

Scio quidem quam-plurimas & subtiles, de Modô, quô Mundus creatus, publicatas Doctorum Virorum, Anglorum maximè, Speculationes. Sed eas ad Trutinam Veritatis non examino. Ut mihi, sic illis, eadem quicquid velint, pro Geniô & Ingeniô, Statuendi Libertas competit. Conceptus sunt, Ideæ, Intellectus Operationes. In harum Formatione plenâ quivis Libertate gaudet. Ratio nullum agnoscit Imperium: Servitutem nullam: Leges nullas; Nullius jurat in verba.

XIII.

Primam hanc Creationem, plurimæ jam insecutæ & subsecuturæ sunt Creationes; Imò infinitæ erunt: quia Deus infinitus. Omnis ejus volitio: operatio.

Omnis Cogitatio: Creatio. Tot ergò Mundi, Orbes tot: ejus quot Volitiones & Cogitationes. Unam, quam Ratione noſtrâ & Senſu percipimus, reverà factam ſcimus. Reliquæ omnes, eæque innumeræ nos latent. Sunt tamen & realiter exiſtunt. Ignorantia noſtra, earum nequit deſtruere Naturam. Non valet argumentatio: Neſcio, Ignoro; Ergò non dantur, non ſunt, non exiſtunt.

XIV.

Sunt, qui Deum, à Labore ſuô, ſeptimô quieviſſe Die, dicunt. Sabbathum hinc, & Dies Dominica. Nec diſplicet mihi hæc Theſis. Nam Contradictiones non amo. Amplector eam, Pacis cauſa: ne Hæreticus vel quid pejus audiam; Mihi: Deus; Quies ipſa. Obnoxius enim nullis eſt Paſſionibus. Quid verò Paſſiones? quàm Quietis Turbationes. Non tamen quieſcit Deus, ſed in perpetua eſt actione. Semper ratiocinatur, ſemper cogitat, ſemper vult. Vita eſt: hinc in Motu. Motum ſequitur actio. Qui verò agit, non quieſcit.

XV. Deum

XV.

Deum autem, vel tantùm ratione hujus Universi nostri, cujus Pars ego (de Orbibus etenim mihi incognitis, abstraho) non quiescere, sed uti ab æterno, ità nunc peræquè indefessâ operari curâ: ejusdem me Conservatio & Gubernatio edocet. Sanè, Deus si quiesceret unicô vel momentô: si non conservaret quod creavit: si non gubernaret quod conservat; tota hæc Compages, extrà suum veniret Ordinem & Harmoniam. Conservare autem & gubernare: nonne Actiones sunt? Et quales? Perpetuum quæ requirunt Motum. Perpetuus verò Motus, nonne Quietem excludit?

XVI.

Uti ergò Deus semper in Motu, ità & per Motum, Mundi fit Conservatio & Gubernatio.

XVII.

Motum hunc, Creaturæ omni, ad Esse suum Conservativum & Gubernativum Deus quidem indidit; Ipse tamen, Motus hujus, primus manet Motus, Motor & Director. Est Totum Universum, Navis:

Deus Nauclerus. Currus: Deus Auriga. Horologium: Deus Æquilibrium inquies. Machina: Deus Rota. Automaton: Deus Loco-Motiva.

XVIII.

Motus hic duplex est: Amoris & Odii. Concordiæ & Discordiæ. Sympatiæ & Antipatiæ. Uniens & Resistens. Attrahens & Repellens. Contrariis hisce Motibus, Mundum conservare & regere: Deo placet.

XIX.

Auget hunc Motum & minuit: alterat & impedit pro lubitu Deus; Unde tot diversæ in Mundo actiones occurrunt & effectus.

XX.

Fuit interim hic Motus, in Mundo, semper idem. Idem hinc etiam Mundus: cujus quæ olim Fabrica, Forma & Connexio essentialis, eadem & nunc est; In accidentalibus quamvis subinde mutatus & alteratus.

XXI.

Asserunt quidam, Mundum Primum per Diluvium interiisse Generale; & hodier-

diernum, novâ quaſi prodiiſſe Creatione. Theſis eorum : qui Revelationem Dei, Operumque ejus, ex Sacro Codice quærunt. Præmiſſæ uti plures aliæ, ad Concluſiones, quæ in eô ſuppoſitæ & deductæ leguntur, validiori Probabilitate defendendas ; maximè neceſſariæ. Meæ Ratiocinationi Diluvium tale univerſale vix arridet, ſed ſi unquam ejusmodi fatalis extitit Inundatio, particularis fuit. Non tamen difficilis ſum, priori, ceu receptæ a Venerando Theologorum Choro Opinioni, meum quoque addere Symbolum. Pax ſiquidem melior Bellô. Quietiſta felicior Diſputiſtâ.

XXII.

Pariter nec Mundum conſenuiſſe, vel in pejus ruiſſe, mihi videtur. Idem enim eſt Motus: idem Motor: idem Deus. Mutationes & alterationes non nego: verum hæ nullam deteriorationem vel ruinam involvunt. Immutatum eſt ſaltem Organum Motus: imò & Motus ipſe: quia ſic Motori placuit. Mundus interim idem ille eſt, qui olim & antè infinita Secula, fuit Mundus. Theatrum ſem-

per idem: licet in eôdem, Scenarum Translocationes & Variationes, innumeris acciderint & quotidiè accidant modis.

XXIII.

Manebit verò iſte Motus in æternum: pro primi tamen Motoris Beneplacito, & prout ipſi è re videbitur. Non interibit Mundus, ſed æternus erit: licet non ab æterno, ſed in Tempore incepit ſenſualiter eſſe. Interitus: Annihilatio eſt. Annihilatio autem, Redactio Entis in Non-Ens: ex eſſe in Nihil: ex Ente poſitivo, in Ens Negativum; Quod planè impoſſibile; Annihilaretur enim ipſe ſic Deus, ex quo Mundus. Mutare interim Mundum & Creaturas Mundi, Deus poteſt, ſi & prout vult: mutando in iisdem Motum vel Organa Motus; Adeò ut Mons Vallis, Fluvius Lapis, Stella Gleba, Piſcis Avis, Arbor Aurum, Homo Animal & vice verſâ fiant, ſicque una res in aliam, perpetuô quaſi Circulô & gyratione, tranſeat, migret & transformetur. Deus eſt Opifex: valet hinc cum Operibus ſuis, ſecundum Cordis ſui deſiderium agere; Cum quivis illimitatus Rerum ſuarum Arbiter ſit & Moderator.

XXIV.

XXIV.

Qui ergò Universi hujus affirmant Interitum: ex Scripturæ S. argumentantur Positionibus; Et sic argumentari necessariò debent: cum aliàs Sententiam quam defendunt, ægrè tueri possent. Placent interim & hæc mihi, uti eorum reliqua. Controversias non amo. Optimum, omnibus se accommodare Sectis: Sectarum & Principiorum omnium esse Homo.

XXV.

Poterit tamen Deus, ceu Primus Motor: Motum quem Universo indidit, sistere si velit & ad se revocare. Desinet tunc Mundus quidem esse id, quod jam secundum Formam præsentem est: Non tamen peribit quoad suam Substantiam. Redibit, unde venit. Concentrabitur in Deo, ceu Matrice: Ac tanquam Partus & Semen ad Primos Lumbos & Cunas revertetur.

CA-

CAPUT TERTIUM.

Meditationes Physico-Medicæ.

I.

JAm à DEO & Mundo: ad Mundi Partem.

II.

Pars potior ejus: Homo.

III.

Hominem hunc considero

1. Theologicè: ut Religiosum.
2. Physicè: ut Creatum.
3. Medicè: ut Sanum.
4. Ethicè: ut Virtuosum.
5. Politicè: ut Civem & Subditum.
6. Juridicè: ut Justum.

IV.

De Homine Religioso: in Antecedentibus actum. De Physico-Medico in præsenti dicam.

V.

Est vèrò Homo Physico-Medicus mihi Machina: ex duplici composita Materiâ; quarum tenuis una: altera crassa.

VI.

Materia tenuis: Anima. Materia crassa: Corpus.

VII.

VII.

Corpus: ex Particulis aëreis, aqueis, igneis, & terreſtribus conſtat. Conſtat iisdem totus Mundus: cujus pars Homo. Pars verò ſequitur naturam Totius.

VIII.

Sunt tamen illæ, humani Corporis Particulæ, de Maſſâ longè meliori, particulis illis: ex quibus Animalium & cœterarum Creaturarum nobis Cognitarum Corpòra, efformata. Imò ratione hujus Materiæ, ipſa Hominum inter ſe differunt Corpora. Hinc alia, aliis puriora, pulcriora, robuſtiora, ſaniora.

IX.

In Corpore hoc, ceu Materia Paſſiva: operatur Anima, Materia activa.

X.

Eſt hæc Anima, Sanguis: aëre, igne, Terrâ, aquâ, uti Corpus Habitaculum & Organum ejus, conſtans & conglobatus. Materialis tota, uti Corpus: Ex Materia tamen puriſſima & defæcata, Spiritus ad inſtar: cujus Eſſe, agere & regere; Sicuti Corpotis pati & regi.

XI. Licet

XI.

Lieet interim Sanguis regat Corpus: Regimen tamen illud, per Corpus & Corporis iterum modificatur Organa. Non aliter Anima vel Sanguis agere, operari & regere poteſt: quàm Corpus & ejus Structura, illud admittere vult & poteſt.

XII.

Alia hinc Operatio Sanguinis eſt in Capite, & quidem Cerebro: alia in Pectore, & quidem Corde.

XIII.

Prior actio ubi fit: eſt Ratio.

XIV.

Hæc Ratio, pro duplici Rerum, quas conſiderat Differentia, duplex. Divina & Humana.

XV.

Illa verſatur circà Deum: Hæc circà Mundum. Illa una, hæc multiplex: Hinc Theologica alia, quæ iterum infinita. Juridica alia, quæ pariter vel Academica, vel Judicialis, vel Conſiliaris. Medica. Philoſophica. Extra Socialis & Socialis. Politica, Statiſtica. Belli. Pacis. Imperantium. Parentium.

XVI. Ra-

Digitized by Google

XVI.

Rationis Conſequens: Intellectus.

XVII.

Intellectus menſura: Ratio. Non enim aliter Homo intelligere poteſt & debet, quàm prout Ratio ipſi dictitat.

XVIII.

Intellectus Effectus: ſunt Ratiocinationes.

XIX.

Operatio Sanguinis in Pectore & Corde: eſt Voluntas.

XX.

Voluntas peræque uti Ratio: Divina eſt & Humana.

XXI.

Humana Totuplex: quotuplex Hominis Conditio & Status.

XXII.

Conſequens Voluntatis: Appetitus.

XXIII.

Appetitus effectus: Fruitiones.

XXIV.

Appetitus: eſt Deſiderium aliquid habendi vel non habendi.

XXV. De-

XXV.

Desiderium habendi: est Amor. Non habendi: Odium. Prior consistit in Electione. Alterum in Fuga.

XXVI.

Desiderium eligens: appetit omne id, quod sibi quôcunque modô placet. Desiderium fugiens: appetit evitare, quod sibi quâvis ratione displicet.

XXVII.

Id quod jam Appetitui placet, est omne Jucundum. Quod verò displicet, Molestum. Illud Dulce: Hoc amarum. Prius Voluptas: Posterius Dolor.

XXVIII.

Cùm verò Voluptas & Dolor, alia in Homine ut Homine, intuitu Temperamentorum Corporis & Sanguinis: Alia in Homine qualificato, intuitu Status & Conditiónis, in quâ vivit; Non mirum, uti varias Hominum Rationes & Intellectus: ità & Voluntates ac Appetitus: Actiones & Passiones diversas existere. Aliter ratiocinatur Colericus, quàm Melancolicus. Phlegmaticus aliter quàm Sanguineus. Eorum velle pariter & appetere:

petere: Agere & pati, totô inter se differunt Cœlô. Unô verbo: Principes & subditi. Clerici & Laici. Theologi. Juris-Consulti. Medici. Philosophi. Milites. Mercatores. Rustici. Artifices. Nobiles. Ignobiles. Viri. Fœminæ. Juvenes. Senes. Ipsæ quoque Gentes: uti diversimodas Corporis & Sanguinis, Capitis & Pectoris, Cerebri & Cordis Structuras habent & Organisationes; Ità quoque variantes habent Rationes & Voluntates, Intellectum & Appetitum, Amores & Odia.

XXIX.

Cum verò Anima seu Sanguis, uti dictum, alat Corpus & regat: utrumque hoc Officium, ut ipsa rectè peragere queat; sua pariter Alimenta, suum quoque habet Motum.

XXX.

Alimenta sunt Cibus & Potus. Ex diversitate in quali & quanto: Sanguinis distinctio & Varietas.

XXXI.

Motus Sanguinis est ejus Circulatio. Sanguis enim movet Corpus. Circulatio Sanguinem.

Digitized by Google

XXXII.

Uti autem Regimen Sanguinis in Corpore: per Corporis modificatur Organa; Ita per eadem Organa, Circulatio quoque, ad has & non alias restringitur ac limitatur Operationes & Actiones.

XXXIII.

Agit hinc, Sanguis aliter ubi Circulatio in Pectore: aliter ubi Caput permeat: aliter ubi per Sensus vagatur. Ab eorum Structura, Leges accipit suas in operando & agendo. Cor ideò appetit non Cerebrum. Cerebrum apprehendit non Cor. Apprehendit verò & appetit Cerebrum & Cor illud demum, quod ipsis, Sensus repræsentant. Retum enim nullæ dantur Ideæ innatæ; Nihilque est in Intellectu & Voluntate, quod non prius fuit in sensu. In Sensibus tamen ipsis, Sanguinis quoque Motus, secundum propria eorundem circumgyratur Instrumenta. Hinc Oculus videt, non Auris. Auris audit, non Oculus. Nasus olfacit non Manus, & sic porrò.

XXXIV.

In hoc Sanguinis Motu & Circulatione: Vita consistit nostra & Corporis actio.

Agere

Agere enim eſt vivere: Vivere autem eſt movere & moveri.

XXXV.

Motus hic, debitô ſuô ubi eſt in Ordine, juſtô in Pondere & Æquilibriô: quod à Cibo & Potu, Actionibus & Paſſionibus, Aëre, Aquâ, Terrâ & Igne accipit; Hominem ſanum, Corpore & Sanguine vegetum, Ratione valentem & Voluntate, ſuorumque compotem reddit ſenſuum, ut Mens ſit ſana in Corpore ſano. Qui amat ſanitatem: hunc conſervet Motum.

XXXVI.

Idem ille Motus, nimiô ſiquandò vel paucô Cibô & Potu, exceſſu vel defectu Actionum & Paſſionum, alteratur aut impeditur: Corpus ægrum efficitur & morbidum; Ut nec Manus, nec Oculus, nec Auris, nec Caput, nec Pectus, ritè ſuum perficere queant Officium. Qui ergò Morbum evitare cupit: ſollicitus quantum poſſibile curet, ut Motus, ſecundum ſuas ſemper fiat Leges.

XXXVII.

Ubi vero Motus ſe ſiſtit, quod fit, ſi vel Organa Corporis per Morbos ità dete-

riorata, debitum ut recipere nequeant Motum: vel Sanguis ità debilis, & Spiritibus ſuis Operantibus ex hauſtus, amplius ut agere, ſeu motum exercere non poſſit: Mors ſequitur.

XXXVIII.

Eſt verò Mors nihil aliud quàm Finis Motus in Anima & Corpore: cujus Principium Vita fuerat.

XXXIX.

Licet interim Corpus & Sanguis, Materia activa & paſſiva, Movens & Motum moriantur: Phraſi meâ: Agere & pati, moveri & movere deſinant; Non tamen intereunt, aut in nihilum rediguntur; Per iſtam ſed ſaltem Mortem, uti Corpus à Sanguine, & Sanguis à Corpore: ità Corpus pariter & Sanguis, in eas porro ſe diſſolvunt particulas, quales hanc antè Conjunctionem fuerunt & Copulationem: adeò ut per Vincula Amoris Magnetica, Particulæ illæ, ad Centra ſua, aqueæ ad Aquam, igneæ ad Ignem &c. retrahantur; quibus Sphæris materialibus vel perpetuò adhærent connexæ, extrà omnem tamen activum vel paſſivum Motum, in Quiete ma-

manentes; Vel potius à Creatore & Motore primo, ad novum Motum, ac novi Cœli & novæ Terræ, hoc eſt Corporis novi & Animæ novæ Compoſitionem denuò revocantur & adhibentur: perpetuô ut ſic quaſi Circulô, cujus Centrum Deus, unum Corpus in aliud, una Anima in alteram & vice verſâ migret, peregrinetur, transformetur, transfundatur.

XL.

Nullam propterea exhorreſco Mortem: quæ aliis, rerum omnium terribiliſſima. Interitus eſt nullus. Annihilatio nulla. Conceptus ſunt, Ideæ, Non-Entia, Somnia, Chimeræ. Vita rerum æterna. Natura Creaturarum immortalis. Migratio Animarum perpetua. Corporum Metamorphoſis continua. Non Ovidiana: ſed Divina. Non fabuloſa: ſed realis. Mors mea: Unio erit Corporis & Animæ cum Deo & Mundo. Non myſtica, non Sacramentalis: ſed Naturalis & Phyſica. Nunquam moriar: ſed moriendo oriar. Occaſus, novus erit Ortus. Phœnix ex Cinere. Vivere non deſinam; licet Vita deſinet. Nec deſinet Vita, ſed renovabitur aut immuta-

mutabitur.: in Deo, cum Deo & per Deum. Ex Deliquio meo, quod Moriens pati videor, eô mox reviviſcam Momento. In Univerſo: licet forſitan non amplius in hôc Mundô. Stella, Angelus, Dæmon: cum anteà Homo. Incola Solis, Lunæ, alteriusve Planetæ: Terræ cum hic fuerim Civis; Sicque ſemper Corpus vel Anima: Materia activa vel Paſſiva. Semper Ens Vivum. Semper Creatura Dei. Gratulor mihi de hâc Fide. Hâc vivam. Hâc moriar.

CAPUT QUARTUM.
Meditationes Ethico-Politico-Juridicæ.

I.

JAm de Homine Ethico-Politico-Juridico: adhuc pauca.

II.

Homo ab eô momentô, quô natus, agit. Vivit enim. Vita autem in actione conſiſtit.

III.

Actio hæc: ab initio debilis, creſcentibus annis, majores ſortitur Vires.

IV. Agit

Digitized by Google

IV.

Agit Homo, in primô hoc Statu, qui verus Innocentiæ eſt, liberè: hoc eſt, ſecundum Cerebri & Cordis Dictata; Imperii & Legum expers: quæ ipſi Non-Entia, quorum Qualitates & Obligationes neſcit.

V.

Actionum harum Finis: Utile eſt. Omne enim Utile: Jucundum. Jucundum autem Homo appetit.

VI.

Utile hoc: terminatur in Amore ſui. Ordinata quippe Charitas incipit à ſeipſa.

VII.

Gradus hujus Amoris triplex:
Primus: Deſiderium ſe alendi.
Secundus: Se multiplicandi & propagandi.
Tertius: Se defendendi.

VIII.

Actiones hæ: utut homini, ad Finem ſuum obtinendum, maximè neceſſariæ; Spectatæ tamen tam in ſe, quam relativè, ſunt & manent indifferentes.

IX.

Iſtarum actionum Rex: Appetitus eſt;

Digitized by Google

Qui enim agit, ſemper agit ob Deſiderium.

X.

Leges actionum: ſunt Vires Temperamentorum Corporis & Sanguinis.

XI.

Secundum hoc Regimen & Menſuram: dum Homo ſe nutrit, ſe multiplicat, ſe tuetur; facit utiliter hoc eſt rectè & benè, quod facit.

XII.

Neſcit hinc talis, appetitui ſuo relictus Homo, in hoc Libertatis, quem à Nativitate accepit ſtatu: Leges vetantes & permittentes. Neſcit differentias Cibos licitos inter & illicitos: Neſcit Arborem Conſanguinitatis & Affinitatis, Lineas, gradusque indè reſultantes, earum Prohibitiones & Diſpenſationes. Neſcit ſtupra, adulteria, aliosque illegitimos concumbendi modos. Neſcit Duella, Homicidia, Vulnerationes, crimina eſſe: Ipſumque Moderamen Inculpatæ Tutelæ: verbum ipſi eſt incognitum. Edit enim & bibit liberè. Concubitus ſecundum Concupiſcentiæ exercet ſtimulos. Tuetur & defendit ſe pro lubitu, etiam cum Nece alterius.

XIII. Cum

Digitized by Google

XIII.

Cum verò pro Temperamentorum Varietate: Appetitus varius, variæque ſic actiones; Primos mox inter Homines, Jurgia, Lites, Oppoſitiones, Contradictiones, Reſiſtentiæ, Tumultus, Cædes, Bella exorta.

XIV.

Bellorum horum & diſcordiarum Autores: Temperamentô Colericô prædominantes, principaliter fuerunt.

XV.

Fuerunt verò uti Bellorum, ità & Imperiorum Autores: quorum Fundamenta prima, poſuerunt per Arma & Oppreſſiones. Colerici enim ſenſim atque ſenſim, vi Complexionis, aliis imperitare volentes: Melancolicis, qui eorundem Ambitioni, maximè contrarii videbantur, vi, clàm, precariò devictis; Phlegmaticos & Sanguineos: plurimi quorum, ſe ſua ſpontè, Metu ſuadente, tradentes; Servitutis Compedes lætò exoſculabantur Ore: Dominationi ſuæ, facili ſubjecerunt Operâ.

Digitized by Google

XVI.

Monarchica ergò, prima Mundi fuerunt Imperia. Colerici enim, primi Monarchæ extitêrunt. Uti verò Cœlum duos non patitur Soles, Tædæ Socium nesciunt: sic Colerieus, nullum in Regno & Throno, Consortem admittit & Co-Imperantem.

XVII.

Imperiô Monarchicô sic fundatô, ad illud conservandum: Religio. Leges. Præmia. Pœnæ: introducta. Subsidia Ambitionis. Dominatus Arcana. Omnia Colericorum Inventa.

XVIII.

Religionis Vinculô, Homines ex Liberis, Servi facti: fortius quò stringerentur; Dii novi, eorumque innumerus excogitatus Numerus. Excogitata Colloquia cum iis instîtuta: Prodigia: Omina: Oracula: Miracula: Mysteria: Martyria: Jura Divina Universalia & Particularia: Moralia: Ceremonialia: Forensia. Concilia: Synodi: Decalogus: Vetus & Novum Testamentum: Lex & Evangelium: Scriptura S. & Alcoranus: Moyses & Christus. Mahomet & Confucius. Papa: Lutherus: Calvinus. Breviarium: Augustana Confessio. Libri Symbolici: Catechismi. Magnus quoque Prophetarum, Apostolorum, Discipulorum, Sacerdotum & Monachorum stabilitus Exercitus. Fundata Templa:

pla: Sacella: Fana: Altaria: Aræ: Luci. Introducta Sabbatha: Dies Dominicæ: Festa solemnia: Juramenta: Peccata Theologica: Confessiones: Absolutiones: Clavis ligans & solvens: aliæque Piæ Fraudes infinitæ.

XIX.

Per Leges verò, quò Hominum Cerebrum & Cor, Ratio & Voluntas, Intellectus & Appetitus domarentur, ne quid, novos contrà Imperantes, primæ Libertatis Usurpatores, tentare auderent: nescio quot ipsis ab Imperantibus, earundem adinventæ Divisiones. Ex eorum ergo Mente, Jus Naturæ & Gentium: Prohibens & Permittens: Negativum & Affirmativum: suas habuere Origines. Orta sunt indè multiplices Conscientiarum Species, Vitia & Virtutes: Actiones peræquè ac Passiones bonæ & malæ, honestæ & turpes, justæ & injustæ, rationales & irrationales. Pudor & Decor. Æquitas & Justitia. Imò Educatio Subditorum per Parentes & Præceptores: Professores & Ministros: in Domibus, Scholis, Gymnasiis, Academiis, Ecclesiis: Societatum Differentiæ: Fundationes Pagorum, Vicorum, Urbium, Civitatum, Fortalitiorum, Citadellarum: Nuptiæ legitimæ & illegitimæ, restrictiones earum & Dispensationes: Imperia Mariti, Patris, Domini: in Conjugem, Liberos, Famulos: Tot Magistratuum & Judiciorum Classes: Regalia

Digitized by Google

lia innumera: Infiniti Contributionum Modi: Origo Majeſtatis immediata à Deo, ejusque Inviolabilitas: Crimina Perduellionis, aliaque Delictorum genera: Obedientia Cœca & paſſiva &c. quid aliud ſunt? Quàm Temperamentorum Colericorum, ſicque Ambitioſorum (quali Geniô & Ingeniô, primi Imperiorum fuerunt Fundatores) Partus: Ideæ: Notiones: Entia: ab iisdem ob Intereſſe & Regiminis Utilitatem, conficta, promulgata & introducta.

XX.

Religioni & Legibus acceſſerunt Præmia. Finis: Homines ut iis allecti & inebriati, primi Status eò facilius obliviſcerentur, Imperiis & Imperantibus adſuefcerent, eorumque Rationi & Voluntati, omnem citrà Renitentiam, morem gererent. Sunt verò Præmia Temporalia alia, alia Spiritualia. Ad hæc: Campus Elyſius Ethnicorum: Paradiſus Chriſtianorum. Bona Animi, Corporis, Fortunæ. Reſurrectio. Vita beata. Vita nova. Vita æterna. Ad illa: Dignitates. Tituli. Honores. Privilegia. Immunitates. Gratiæ. Ludi. Spectacula. Dies Feſtivi. Annuli. Coronæ. Statuæ. Columnæ. Obeliſci. Monumenta &c. pertinent.

XXI.

Additæ Pœnæ: quartus Imperia ſtabiliendi

&

Digitized by Google

& Subditos in Obedientia continendi Modus. Spirituales patiter ac Temporales, ad Præmiorum Rationem. Utraque: Colericorum ſapiunt Indolem. Ira hinc enata Dei: Fames: Peſtis: aliaque Paſſionis Mala. Excogitata Tortura: Supplicia: Carceres: infinitæ Pœnarum ſpecies. Conſtituti Infernus & Avernus. Diabolus & Pluto. Cerberus & Acheron. Lictores & Carnifices; Hominum Terriculamenta. Pœnarum Executores. Dominatuum Fulcra. Dominantium Defenſores.

XXII.

Quamvis verò Monarchia, à Colericis, dictâ Methodô, primitus fundata, conſervata & amplificata fuerit: non tamen eadem, ejus ſemper permanſit Forma, eadem Connexio, Conſiſtentia eadem. Imperio ſiquidem nemo aptior Colericô, hoc eſt in quo Paſſio Dominans, Ambitio. Ubi ergò Voluptuoſi, Sanguinei, Phlegmatici: Faſces tenuerunt Regiminis, exquo hoc eorum, ad obediendum magis quàm imperandum aptiori Temperamento: Subditi & Populi iisdem ſubjecti, Utilitatem & Commodum, occaſione datâ, capere ſciverunt; Monarchiæ, non leves pedetentim perpeſſæ ſunt Alterationes, & prima earum Figura Regia, admodum fuit deturpata. Non proindè mirum olim & hodiè tot Rebelliones, Defectiones, Regiminum Transformationes, Imperia limi-

tata,

tata, Respublicas Liberas, irregulares, imò monſtroſas accidiſſe & reperiri.

XXIII.

Licet interim Imperium omne, qualiscunque etiam Formæ hodiè illud ſit: Religione & Legibus: Præmiis & Pœnis: ab Imperantibus conſervetur; Imperantes ipſi tamen, ſuper Religionem & Leges: ſuper Præmia & Pœnas exiſtunt. Vincula ſiquidem hæc ſunt tantum Subditorum. Compedes Populi. Parentium Retia. Longè auguſtior, Auguſtorum Imperantium Conditio. Regunt: regi ergò nequeunt. Servos regunt: ipſi Domini. Ligant alios: ipſi ſoluti. Imperant ſubjectis: Ipſis Nemo. Forent aliàs Obedientes. Obedire autem & Imperare, ſunt Incompatibilia.

XXIV.

Imperant tamen & Imperantibus: Appetitus & Utilitas. Peræque, uti Subditi, duplicem hunc ſequuntur Ductum. Iisdem interdicunt quidem ſubditis, Principes. Principes verò, ipſi, omnibus in actionibus: Deſideriis ſatisfacere, & Intereſſe ſeu Utilitatem quærere, unico & primo pro Scopo habent.

XXV.

Sed nec Subditi: quamvis nunc, ex liberis poſtquam Creaturis, Imperantium Homines facti, Religionis & Legum ſecundum præſcripta vivere teneantur; hanc duplicem Vitæ ſemper eb-

obſervant Normam. Non enim planè, in ſecundo hôc Vitæ Conditionatæ Statu, primi Status & priſtinæ depoſuerunt Libertatis Imaginem: ſed multas utriusque retinuerunt Reliquias. Homines adhuc liberi potentiâ: licet non actu: & actu primô quidem, non autem, niſi rarò, actu ſecundô. Quoties ergò poſſunt, liberè iterum, hoc eſt ſecundum Temperamenta Corporis & Sanguinis: Cerebri & Cordis: ſecundum Dictata Rationis & Voluntatis: Intellectus & Appetitus agere incipiunt. Innumeræ hinc ſunt Actiones, quæ Religionis & Legum in Fraudem, à Civibus & Subditis: in modis Nutritionis, Generationis & Defenſionis, quotidiè ſine horrore, pudore, conſcientiâ, ſcelere, perpetrantur. Sanè non Virtuoſi, non Juſti, non Obedientes, niſi pro Forma. Spe Præmiorum: Formidine tamen magis Pœnarum. Exemplis illuſtrari & probari, Aſſerta hæc Politico-Philoſophica poſſent; Sed odioſa ſunt, licet non rara. Scatent iis Aula: Eccleſia: Caſtra: Mare: Burſæ: Officinæ: Agri. Brevi: Converſatio omnis, publica & privata.

XXVI.

Durus ergò Civium & Subditorum, in toto Orbe eſt Status: Hodiernos attamen ſecundum Mores apprimè neceſſarius. Approbo eundem, Civis ipſe & ſubditus: cui ſola Obedientiæ Gloria relicta; Inſimul autem deploro. Bruta

ſi-

ſiquidem, imò Brutis ſumus deteriores. Regum Servi. Mancipia Magiſtratuum. Machinæ ſine Senſu, Ratione, Voluntate. Sentientes, Intelligentes & Appetentes non aliud, nec aliter: quàm prout Imperantes noſtri volunt & nos jubent.

XXVII.

Status longè felicior, licet non amplius dabilis nec utilis: Hominis eſt: ceu Creaturæ. Liberum tunc Ens: Liberè agens & liberè cogitans. Sine Rege: Lege: Grege: Præmia non ſperat: Pœnas non timet. Vitia ignorat: Peccata neſcit; Omnibus in Actionibus Dictamina prælucentis Rationis & ducentis Voluntatis, pro Vitæ Cynoſuris habens. Beata Vita talis: imo Divina! Aſſimilatur hôc modô Creatura Deo: Deus enim Libertate Intellectus & Appetitus gaudet. Tantum!

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

00566523
Digitized by Google

Digitized by Google